

VNIVERSITATIS COLLEGIVM
LONDINENSE
COLLEGIS ACADEMICIS S.P.D.

CVM CENTESIMAM Collegii nostri nataliciam feris sollemnibus celebrare statuimus, collegas nostros, ubicunque sunt terrarum, rebus academicis addictos et litterarum scientiaeque studiis deditos, certiores facere properauimus, et in partes tam faustae occasionis uocare.

Collegium enim nostrum, cum Vniuersitate Londinensi consociatum, et artioribus nuper uinculis coniunctum, non minimam sibi partem in communibus studiis uindicauit, et inde ab initio nouos disciplinae cursus inaugurauit. Primum enim omnibus, sine ullo religionis, sexus, gentis discrimine portas suas aperuit; idem nouas scientiae naturalis et mechanicae scholas atque officinas instituit, nec non medicinae studia fouit ac prouexit.

Meminisse etiam iuuat tot nouas uniuersitates, exemplum tam salutare secutas, disciplinas academicas per totum terrarum orbem propagauisse; antiquiores uero, concordi studio et aemulatione beneuola coniunctas, nobiscum recentiores studii et doctrinae uias excoluisse. Quare uos, uiri doctissimi, oramus atque obsecramus ut unum e numero uestrum delegetis, qui feriis nostris intersit, quibus diem uicenarium tertium mensis Iunii indiximus, commune litterarum et scientiae studium testaturus.

Champfwn Praeses Collegii
Fran. Dutton Praepositus Collegii
N. H. Baynes Decanus Facultatis Artium
J. S. Ahrensböck Decanus Facultatis Legum
Alfred W. Porter Decanus Facultatis Scientiae
G. Leesken Decanus Facultatis Mechanicae
B. M. Bunting Decanus Facultatis Scientiarum Medicarum

B. G. Greig Secretarius
ad tempus

Dabamus Londini die primo mensis Februarii,

A.S. MCMXXVII.